

multa, sed infinita, adeoque omnia, ἐν τοῖς ἁγίοις, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς, Regiæ CHRISTI potestate subiecta esse, atq; pertinere ad regnum potentia ipsi datum, *Matth. XXVIII. 18.* dum enim dicit τὰ πάντα, nihil excludit, quod ipsi subiectum non sit, ut ipse Apostolus colligit, *Hebr. II. 8.* nimirum nihil eorum, quæ sub eiusmodi subiectionem cadere possunt; Ita enim non modo Pater, qui ipsi omnia subiecit, uti *versu preced. 27.* docetur, & Spiritus S., qui est ejusdem cum Patre, Filioque essentia, *1. Job. V. 7.* atque ut Spiritus αἰώνιος neutiq; in tempore potestati subiecit, *Hebr. IX. 14.* sed etiam ipsa CHRISTI Divinitas excipitur. Nam etiamsi DEUS cum homine personaliter unitus sit, ideoque homini CHRISTO omnia subiecta sint, non tamen propterea DEUM humanitati subiectum esse credendum est, sed objectum adæquatum Dominatûs CHRISTI omne illud est, quodcunq; subijci potest. Conf. *B. Jac. Martini Synopsis. Relig. Photin. p. 660.* & *B. Höpffneri Comment. in Ps. VIII. p. 71. seqq.*

§. V. Cùm autem in CHRISTO non una, sed duæ inveniantur naturæ, secundum quam illa subiectio fiat, videamus necesse est; Ubi statim regula Theologorum: *Quæ CHRISTO in tempore data dicuntur, ea secundum humanitatem data intelliguntur*, nos edocet, secundum humanam naturam hanc fieri ὑποτάχην; Divina enim naturæ, utpote quæ immutabilis, nec unquam passivè se habet, nulla βελτίωσις potest accedere, cùm omnia, quæ Pater habet, ea quoque sint Filii, *Job. XVI. 15.* adeoque etiam Filio ab æterno omnia jam sint subiecta, nimirum *ratione æternæ potentia*, quæ est essentielle attributum DEI, licet *ratione juris*, cùm in tempore demum creaturæ cœperint, non ab æterno sit, sed dependeat à creatione in tempore factâ,